

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE APOSTOLORVM PETRI AC PAVLI EVANGelium. Mathaei. 16.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413

IN DIE APOSTOLO-

RVM PETRI AC PAVLI EVAN-
gelium. Matthæi. 16.

VEnit Iesus in partes Cæsareę Philippi,
& interrogabat discipulos suos dicens:
Quem me esse dicunt homines, filium
hominis? At illi dixerunt. Alij Ioannem Bapti-
stam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut
vnum ex Prophetis. Dicit eis Iesus: Vos autē
quem me esse dicitis? Respondens Simon Pe-
trus, dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Re-
spondens autē Iesus, dixit ei: Beatus es Simon
Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit ti-
bi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico
tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædi-
ficabo Ecclesiam meā, & portæ inferi non præ-
ualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues
regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris su-
per terram, erit ligatum & in cœlis: & quod-
cunque solueris super terram, erit solutum &
in cœlis.

E ADEM FESTA DIE

EPISTOLAE LOCO LECTIO.

Acto. 12.

Eodem tempore misit Herodes rex manus,
vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit
autē Iacobum fratrē Ioannis gladio. Videns
autē quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere
& Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem
cū apprehendisset, misit in carcerē, tradensq; qua-
tuor quaternionibus militum ad custodiēdum, vo-
lens

lens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenae de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum: Præcingere, & calcia te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est, quod fiebat per angelum. Existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ vltro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnu, & continuo discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus ait: Nunc scio verè quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

SERMO PRIMVS.

QUod nuper ante paucos dies dixisse me memini, idem nunc in hac festa die dico: nimirum, comode iustoque ordine fieri, ut præter Euangelij doctrinam illud quoque ac iuxta doceatur, qui primi illius doctrinæ & susceptores & prædicatores fuerint. Ita enim plerumque in mundo vsu comparatum est, ut quævis doctrina gratior reddatur, non iam quod vera ac bona, sed quod per graues bonosque viros prædicata, amplectenda proponatur. Iam verò apertissimum est, nostram Euangelij doctrinam, quam Christo Deo dante accepimus, non modo

modò per se bonâ, certam, ac indubitatam, verumetiam ab initio per eiusmodi homines prædicatam esse, quos ipse etiam mundus prædicare ac magni facere cogitur, utique cùm nihil habeat, quod vere obijcere possit. Id quod suprâ in Ioanne, atque hic in ipsis Petro atque Paulo videmus, qui ideo pariter nobis hac die proponuntur, nò quia vna die passi sint, sed vt clariùs aliquanto perspiciamus, quos Ecclesia primos duces pastoresq; habuerit. Hi enim duo inter eos qui primum Ecclesiam plantauerunt, facîle fuerunt principes. Quicquid etiamnum Christianismi maximè in Europa superest, per alium neminem, præter hos duos Apostolos, horumque successores plantatum fuit. Vnde propriè etiam nostri Apostoli dicuntur. Nunquid ergo iniquum est eorum vel semel quouis anno nos meminisse? Vehementer arbitror necessarium esse id, maximè cùm sint tales quorù non pudendum nobis est, sed magis letandum in ijs est. Idq; rectius quàm de philosophis olim suis Græcia, vel de belli magnanimis ducibus suis Roma gloriabatur. Quid enim hi omnes erga nostros sunt? Quid simile effecerunt? Et illi quidem quorum summa virtus ac sapientia fuit trucidare ac circumuenire homines æterna suorum memoria celebres erunt, nos vero nostrorum ducum obliuiscemur? Longè à nobis qui Christo Iesu militamus hoc absit. Ne vnquam Apostolorum in Ecclesia, maximè horum amborum memoria sepiatur. Quod enim maius robur fidei nostræ tum supererit? Quod præstantius certæ atq; piæ vitæ exemplum, præter horum duorum, relinquetur? Quod si hi duo ad Christum non traxerint, nemo sanè trahet. Qui horum à peccatis ad pietatè exèplo ducti non fuerint, haud facîle à quouis mouebùtur. Et vt breuiter dicâ, si quis necdum Christianus effectus esset, si tamen quorum opera Euangelij verbum primum inter homines, atq; fides disseminatum sit, cogitauerit, adhuc Christo nomen daret. Ecce hæc causa est, cur tanta cum honorificentia duorum horum memoriam Ecclesia repetit. Nec secus ac dixi se res habet. Atque vt necessarium ita quoq; pulcherrimum esset, sæpe præsertim hac tempestate, eorum meminisse. Proinde nò possum quin pauca de ipsis dicâ. Neq; enim

vnquam, quid nobis ad veram pietatem desit considerabimus, nisi primos fidei ductores intuiti fuerimus. Id vt fiat, tu Domine, oculos cæcutientium aperi as oro. Sunt igitur in his Apostolis nostris tria perpendenda: Persona, doctrina, ac vita. Quod ad personas, magnæ autoritatis ac reputationis fuerunt. Quod ad doctrinam, indubitata fuerunt veritatis. Quantum verò ad vitam attinet, plenæ perfectionis fuerunt. Hæc sunt Christianorum ornamenta, quæ etiam omnibus vehementer necessaria sunt. Autoritatem personæ habebant Apostoli, inquam, non secundum originis aut mundanæ scientiæ, aut diuitiarum, multo verò minus ostentationis respectum. His .n. rebus atq; formis seculi huius filij autoritatem sibi conciliare consueuerunt imprudentium, nihil eò præstantiores coram sapientibus iudicati, nisi cæteris virtutum ornamentis claruerint. Nam & Neronis, hodie eius causa recordamur, parua admodum ipsius laude, at veluti primi Christianorum persecutoris, atq; crudelissimi tyranni, qui primus post Pilatum, Romanam Christianorum sanguine sedem, consperferit. Hic, inquã, Nero omnia habet, quibus carnales homines populi fauorẽ sibi conciliare consueuerunt. Erat enim Cæsareo genere, illo tempore faciliẽ præstantissimo, oriundus. Matrem Agrippinam Caij Cæsaris sororem, Tyberij verò Cæsaris neptim habuit Germani filio Drusi fratre. Adde quod & adoptiuus erat Claudij Cæsaris, tandẽ ipse quoque in fastigium rerum subiectus fuit, tantis diuitiarum copijs, tanta doctrina præditus, tanto fastu tumidus, vt Suetonio teste, nunquam vnã vestem his indutus sit. Hæc aliaq; multa id genus Nero copiose habuit. Quam autem apud homines autoritatem obtinuerit vis scire? Oderunt omnes, calumniabantur, ad nominis etiam appellationem, pro detestatione, conspuebant; deniq; interitum ipsius efflagitabant. Contrà vero Apostoli nostri horum nihil habuerunt, nec diuitias possiderunt, nec voluptatibus dediti fuerunt: nihilominus tamẽ ea ipsorum apud pios omnes erat autoritas, vt ab ominibus magni haberentur, venerarentur, suspicerentur. Vis autoritatem ipsorum cognoscere? In Actis legimus plurimos infirmos in lectulis suis in plateas suisque positos, vt

veniente

Act. 5.

veniente Petro, salutem umbra illius obumbraret quæquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Sed & multi finitimi Ierosolymam venientes, attulerunt ægros suos, & qui vexabantur à spiritibus immundis. curabantur. Et in Ioppe quidem tantum Petri erat desiderium, ut missis ad eum duobus Legatis orarent, ut ad se venire non graueretur. Quo cum peruenisset, duxerunt eum in cœnaculum, & circumstiterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autē omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: & conversus ad corpus dixit. Tabitha surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro recedit. Sic cum ab Herode in carcerē missus esset oratio Act. 9.
 fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo ad Deum. Tantæ ergo apud omnem credentium Ecclesiam æstimationis erat. Similis est Pauli ratio: hic enim Listris nō homo, sed Deus habebatur aliquis. Corinthi sudaria ipsius super malè affectos, pro remedio ponebant. Cum Epheso Ierosolymā pergeret, osculabantur eum omnes Act. 14.
 seniores in signum dilectionis. Comitabantur eum Tyri Act. 19.
 cum vxoribus atque liberis, cum ab eis recederet in Cæ Act. 21.
 sarea, cum Agabus ligandum esse eum in Ierosolymis prædixisset, omnes pro sua incolumitatis ipsius curæ ne ascenderet illuc, obtestantur. Sic cum naufragiū passus esset atque Mitilenam venisset, breuissimo tempore Act. 28.
 tantam consequetur gratiam populi, ut pro Deo haberetur, humaniusque socij sui causâ ac mitius tractarentur: deinde Romam aduentans, occurrerūt ei fratres usque ad Apij forum & tres tabernas. Et quid multis? Tante autoritatis erant hi nostri Apostoli, ut primi etiâ Cæsaris aulici illis cōiungerentur, ut testis est Linus in ipsorum passionis historia, imò verò ipse etiâ Tyrannis Nero admiraretur iustos. Sed vnde hæc illis autoritas venit? Non aliunde, nisi quod Deus in ipsis operaretur. Loquebatur Deus per eos, ipsiusque gratia lucebat in verbis ipsorum atque factis. Hoc ergo ipsis parabat admirationē atque autoritatē apud omnes. Agē huc adis, ac discē, quicumque; nominis gloriā immortalitatēque in Mundo aucuparis. Quod principū fauorem appetas, argentum reponas, auro gemmisque te ornes, necesse nō est. Tum etiam

colūnas, imagines, edificiā nomē, & cū armis galēā erigas, aut parietibus allinias. Hoc studeas potius quo Deus intra te operetur, per te loquatur, inq; vitę tuę modo sese ostēdat: sic, sic inquā, maximā, eamq; veram tibi laudē cōcilaueris, pij quique diligēte te, mali admirabuntur, atq; reuerēbūtur. His medijs Apostoli nomē decusq; cōsecuti sunt. Priusquā enim diuina illa in ipsis gratia luce-

Acto. 3.

ret, satis ignobiles Mūdo erāt. Verū cū, accepto in Pentecoste spiritu sancto, loqui inciperēt magnificentiāque Dei varijs linguis prędicarent, tum demū eam autoritatem cōsequebantur, quę sanato, vno verbo Petri, clau-

Act. 14.

Act. 28.

do, cumulatē creuit. Vti etiam Paulus nominis sui gloriam Lystris conseq̄ebatur, quod claudum erigeret: & Mitylenę quod viperam a manu sua in ignē excuteret. Hęc aliaque his similia Dei opera tantū ipsis auctoritatem pepererunt. Atq; hinc considerare licet, cur non hęc nostra aetate etiā sacerdotes ac ceteros Ecclesiarum ministros tāto honore reuerētur, quo olim veteres illos Ecclesię pastores atq; Episcopos. Vis nosse causam? Nō illa Dei facta in nobis inueniuntur, nullaque vera in nobis apparet pietas, nulla gratia Dei lucet in nobis: imō vero his planē contraria vbique sunt obuia. Et quid cau- se prętendemus, quia contemnimur. Impietas, luxuria, vitęq; impietas in causa sunt. Atq; his quidem non nominis gloriam comparabimus, verū multo magis ignominia prouocabimus. Quod si Apostolos imitemur, haud dubiē lōgē pręstantiorē nominis famam cōseque- remur. Atq; hęc de Apostolis eorumq; personis sint dicta: nunc porrō quod doctrinę genus promouerint, id quod breui sermone dici nequit. Verū nō diffido de vobis, atq; planē mihi rē actā agere videbor, si diutius hac in parte laborauero. Neq; enim vlli ipsorum incognita doctrina est, nisi q̄ fortē & ipsum Christū nesciat. Nihil minus tñ vel tria solū verba de ipsis cogitāda vobis libet proponere quibus quis finis quęque doctrinę ipsorū intētio sit facile erit perspicere. Petrus in consilio Iudæorū sic loquitur: Non est, inquit, aliud nomen sub cęlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Idē & Paulus dicit in nomine Iesu omne genu flectetur, cęlestium, terrestrium & infernorum. Ecce tibi Christianę

Acto. 4.

Phil. 2.

atque

atq; Apostolicæ doctrinæ exordiū, caput, atq; intentionem, quæ admodū illud in omnibus eorū scriptis atq; sermonibus videre licet. Hoc exordiū perpetuū erat, nunquā ab ore eorū discessit. Vis huius doctrinæ successum videre, ut inquit Petrus, diuina eius omnia nobis largita est, quæ ad vitā ac pietatem pertinet, per agnitionē eius, q̄ vocauit, eius propria gloria & virtute, per quē maxima & pretiosa nobis promissā donauit: ut per hæc efficiamini diuinæ cōsortes naturæ: fugiētes eius, quæ in mūdo est, cōcupiscentiæ corruptionē. Ad hæc & Paulus sic loquitur. Obsecro vos fratres per misericordiā Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiā viuēte, sanctam, Deo placētē, rationabile obsequiū vestrū. Ecce hæc cōsequētia sunt Apostolicę doctrinę. Nūquid & finē vis? Gloria est, ablit mihi, Petr⁹, cū ad suppliciū Crucis raperetur, ait, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, cui ego seruiō. Et Paulus corā Nerone: Exiguo admodū tēpore patior, inquit, postea. Cū Deo meo viuente, & cū Rege meo Iesu Christo æternum victurus. Habes ergo Apostolicę intentionis summā. Exordiū eius siue caput, Christus est, siue quæ in ipsum est fides: Cōsequētia siue successus, via pia ac Christiano digna: finis siue cōclusio, crux & in persecutōne patiētiā, & de hac doctrina pulcherrim⁹ D. Bernardi sermo extat. Docuerunt nos sancti, inquit, Bernard. Apostoli, nō Platonē legere, docuerunt me viuere. Putas parua res est scire viuere? Magnū aliquid, imō maximum. Nō uiuit qui superbia inflatur: qui luxuria sordidatur: Quoniam hoc nō est viuere, sed vitā confundere, & appropinquare vsq; ad portas mortis. Bonam autem vitam puto: cognoscere Deum, & quē ille misit Iesum Christum, deinde & volūtatē eius implere. Postremō: per secundam atq; aduersam fortunam ad vitam properare æternam. Hoc est viuere, & mala pati, & bona facere. Hæc Apostoli nostri docuerunt. Utinam eadem doctrina omnes cathedræ personarent. Utinam omnes mortales hæc cuperent discere. In nullo enim negligentiores sumus, cum tamen hoc ipsum maximē necessarium est. Sint ergo hæc de Apostolorum doctrina dicta. Nunc porrō & vitam ipsorum consideremus. Hic autem de ambobus id dico, quod olim Chrysostomus de

2. Pet. 1.

Roma. 12.

Bernard.

Ioan. 17.

- altero horum scripsit. Si quando Pauli vitā cōsidero, tāquam in speciosum oīs generis virtutū prospicere mihi videor. Hoc igitur de vtroq; hic loquor. Oēs enim sanctorum virtutes, in his duobus sunt obuia Apostolis. Abel laudatur, quod Dño sacrificauerit. Id quod tantū pecudum & vnicū sacrificiū fuit. Apostoli nostri semetipsos immolabāt, nō semel tantū sed quotidie. Paulo dicēte: quotidie morior propter gloriam vestram, fratres, quam habeo in Christo Iesu Dño nostro. Et iterū: Ecce testis paratus sum ad vos venire, & nō ero grauis. Non enim quæro vestra sed vos. Et mox: Ego autē libentissimē impendā, & superimpendar ipse pro animabus vestris. Quin nec hoc cōtenti, totum etiā Mundū Christo cupientes adducere. Noë iustus senex tandē Arcam extruxit, in qua reliquos mortalium in diluuiō conseruauit. At multo præstantiorem arcam edificarunt, in qua non octo animæ tantū, sed totus hic mundus conseruari possit. In arca enim Noë nemo, quā antē fuisset, melior factus est: Coruus emissus euolabat aduolabatq;. In hac vero quā Apostoli edificarunt Arca, ex coruis, colūba: ex lupis efficiuntur oues: Abrahā patriā suā & oēm cognationē reliquit: Deo iubēte, postea etiā pro defensione Loth fratris sui filij discrimini sese exposuit. Apostoli itē oīa reliquerūt. Oīa, inquit Paul⁹, existimo detrimenta esse, & arbitror vt stercora, vt Christū lucrificiā, deinde suo etiam periculo, nō vnum aliquem, sed multa hominum milia ē seruitute liberauerunt. Isaac prædicatur, quod Philisthijm malitiam æquanimiter sustinuerit, atq; ipsorum furori cesserit. Hi verò nō modò cessē runt hostibus, verū etiam ad vitā pertrahere eos studuerunt. Quatuor enim annis Iacob pro Rachel seruiuit, hi verò omni vitæ suæ tēpore pro Ecclesia ministrauerūt, non modò estū frigusq;, sed & flagella, carceres deniq;, ipsam etiā mortē pertulerunt. Ioseph pudicitiae laudem obtinuit & quid nisi eandē præstantē in Apostolis cōsideramus? Moses Pharaoni resistit, hi diabolo. Moses ne populus perderetur demeritaque poena exstingueretur, deleri ipsum se de libro viuientium postulauit. Idem de Paulo legimus, qui anathema pro fratribus à Christo esse voluit. Iosue, eumque succedentes pro populo Dei

certa-

certainerunt, & quid aliud Apostoli nostri? Dauid ingēti zelo domum Dei ædificare, cultumq; verum disponere arsit. Idem & Apostoli fecerunt. Elias pro zelo quem habuit laudē obtinuit: & quid aliud in Petro videre licet in morte Ananias: quid aliud in Paulo cū fornicatorem Corinthiū excludit? Vides ergo verē de Apostolis dici, quod ipsorū vita, sit veluti capus virtutum humanarum omniū. Et eiuscemodi quidē duces fidei nostræ habuimus. Et quid miramur ijs ducibus Ecclesiam adoleuisse atq; stetit? Deū immortalē, quæ nostra tam diuersa ratio est? Attamē miramur Ecclesiā nobis ducib⁹ quotidie labefactari viliorēq; fieri? Cōsideremus hæc, fratres sequamur Apostolos: precemurq; hodie cū Ecclesia dicēte: Deus qui hodiernū diem Apostolorū tuorum Petri & Pauli martyrio cōsecrasti: da Ecclesiæ tuæ eorū in oībus sequi præceptū: per quos religionis sumpsit exordiū, per Dñm nostrū Iesum Christum, Amen.

SERMO SECVNDVS.

VT nunc sunt tēpora, singulis festiuitatibus, singulas denuo rationes cur institutæ sunt, cur in Ecclesia seruentur ostēdere necessariū arbitror: tam negligentes sumus, atque quotidie viliores reddimur, his temporibus nouissimis, in ijs quæ magno nobis commodo esse possent, vnde quā deuiauerimus longēque à patrum deuotione ac Charitate discesserimus facili cognosci potest. Sit hodierna festiuitas exēplo. Et quidē Antiquis nihil perinde, atq; per illud Apostolorum omnibus fuerunt cogniti. Vbiq; enim homines credētes erant, illic & horū duorum magnifica frequētata fuit festiuitas. Oēs Petri admirabantur virtutem, oēs Pauli prædicabant sapientiam. Vnde in omnibus libris, in omnibus Ecclesijs, in omnibus templis, ipsorum memorias legimus, canimus, consideramus. Quæ sanē dilucidē factis indicant, quæ ipsorum semper & vbiq; fuerit autoritas, atq; dignitas apud oēs Christianos. Et verē Christianus non est, qui ipsos honore nō dignatur. Quanquam hoc seculo inuenias, qui nec ipsum Christū magnopere curēt, nedum Apostolos. Quid autē maiore reprehensione dignius hac nostra leuitate, si quæ nobis maximarum diuitiarum opulētia per horum manus tradita sit cogi-

Acto. 5.

1. Cor. 5.

tauerimus? David Propheta cū olim in oratione suaque deuotione suspenso teneretur animo, secū primæ rerum creationis factū cogitaret, nō potuit quin prorumperet, atq; de quolibet diuina pietatis omniq; potentia facto proclamaret dicēs: Cōfitemini dño quoniam bonus, cāitate nomini eius quoniam suaue est. Et iterū: Cōfitemini Dño, quoniam ille est, qui fecit luminaria magna solus, Solē in potestate diei, lunā & stellas in potestate noctis: quoniam in eternū misericordia eius. Agē igitur si David hoc fecit, quanto rectius nos idē facimus, quorū vtilitati tanta Deus Ecclesiæ suæ præfecit luminaria: Quid enim Ecclesia sine vel Petri potestate, vel doctrina Pauli? Petrus diei præfuit, lucēs in ea, hoc est, Iudæis quibus vel exiguum lucis erat, ipse prædicauit. Paulus in nocte, hoc est, inter Gētes, quibus nulla veritatis lux erat, euāgelizauit. Petrus, inquā, vetustate desertū, ac infēcundū agrum sub Legis vmbra à solis veri calore tectū, in lucē producere laborauit. Paulus nouā terram Crucis oratio scidit, frugumq; nesciā seminauit. Petrus olim in plātata laborauit vinea, Paulus nouā vineā, in Gētibz quæ non fuerant vinea, fodit, excoluitq; Petrus oliuam purgauit, Paulus oleastrū cōtra naturā in verā oliuā inferuit. Petrus Iudæorū durtiā mitigauit, Paulus Gentiū ignorantia illuminauit. Petrus saucios Iudæorū oculos sanauit. Paulus à natiuitate cæcorū Gentiū oculos aperuit. Et vt succinctē dicā, hi duo sunt, quorū opera Ecclesia, in qua nos viuimus, fundata atque ædificata est, quiq; peculiari modo nostri dicendi sunt, utique singulari gratia nobis missi. Christus em̄ ipse in oriēte vbi ortus solis est prædicauit, occasum solis nō venit. Verū ne quid desit nobis, hos præcipuos Apostolorū in occidentē misit: iustū igitur est, vt ipsos nostros iudicemus: tantū rectē vitamur illis. Hic verō iustus ipsorū vsus erit, si doctrina ipsorum fidē nostrā cōfirmauerimus: vitę verō eorū exēplo vitam nostrā emédauerimus. Quæ ambo nostro hoc seculo quidē maximē necessaria sunt. Primō inquam, fidei nostræ cōfirmatione opus est nobis. Quotidie enim magis magisq; claudicamus, & quousq; doctrina vento agitatur. Nois mundus opinionibus atq; sectis vbiq; plenus est, quorū alij alijs suā fidē antefereunt, deq; vera Ecclesia

Ecclesia iactat: unde factum est, ut multi dubitent etiam, ubi vera fides, vera Ecclesia sit. Propterea fidei illa iactantia satis non est, sed magis quo fundamento innitatur atque insistant videndum est. Id quod Paulus quoque docet, qui eam quoque ob causam ciues nos atque domesticos Dei vocat, quod super edificati sumus super fundamentum Apostolorum & prophetarum. Tum & illa vera fides, veraque Ecclesia erit, quae fundamento Apostolico innititur. Quanquam autem omnes apostoli in ponendo Ecclesiae fundamento laborauerunt, alius in India, alius in Aethiopia, alius in Asia, alius in Europa (testis enim est Ioannes, coeleste Ierusalem duodecim fundamentis insistere, in quibus scripta sunt nomina Apostolorum) nullius tamen fundamentum perstitit diutius, quam horum duorum Petri & Pauli. Non quod male edificauerint alij, (vnus idemque in omnibus fuit spiritus) sed quia Deo ita visum fuit, ubi enim alij Apostoli edificauerunt, ad tempus fides stetit. Postea vero deficit, iusto proculdubio Dei iudicio. Vbi vero hi duo fundamentum posuerunt, illic & fides & Ecclesia usque ad nostra tempora perdurauit. Quae ergo certior fidei nostrae confirmatio esse posset, quam, quod super fundamentum duorum horum edificati sumus quorum edificatio ad nos usque perstitit, scire? Hec fidei norma, quam in Romana Ecclesia posuerunt apostoli, nunquam nisi in nostra haec tempora rupta fuit, semper licet extensa sit. Id quod de nulla alia fide dici potest. Nec quisquam omnium haeticorum demonstrare potest, suam fide atque Ecclesiam, ab ullo Apostolorum per veram rectamque lineam inconcussa ad se descendisse. Quae admodum nobis id docere de nostra fide atque Ecclesia difficile admodum non est. Atque ideo hac Deus vnicam lineam siue normam (meo iudicio) conseruare voluit, ut si qua haeresis orta fuerit, ubi vera sit Ecclesia, videre liceat. Quae admodum & in veteri testamento factum est: Licet enim multa orirentur infracta, tamen suam fidem Deus semper conseruabat lineam. Sic ab Adae ad Seth fides descendit vera linea, a Seth ad Noe. Verum in linea Cain fides occidit. A Noe, porro usque ad Abraham in linea Sem, postea mansit in linea Isaac atque Iacob. Ab hoc omnes duodecim illi tribus susceperunt fidem, tandem vero in sola tribu atque linea Iuda permansit. Aliarum enim tribus ab Iuda atque templo deficientes sese absciderunt.

Ephes. 2.

3. Reg. 2.

Ioan. 4.

Matth. 13.

2. Cor. 1.

1. Thes. 2.

runt. Atq; hæc admirabilis turbatio, horrendumq; dissidium erat. Alij, in Dan vitulo aureo supplicari dilabantur, alij in Ierosolymorū tēplum cōcurrēbant. Idq; Samaritani ipsius terrę incolę considerantes, & ipsi sibi priuatum locū eligebāt orationi commodū, nimirū montem in quo Jacob orauerat. Atque in hoc quidē dissidio quæq; pars sibi videbatur veram se fidē verumq; cultū Dei habere, habebantq; oēs suos quæq; Prophetas, qui sua dū cōfirmarēt, alios damnabant. Cū tñ nullā illarū partiū verior certiorq; esset, q̄ quæ templū Ierosolymitanū sequebatur. Vtiq; hoc freti, q̄ eam fidē à patribus suis p̄ manus accepisset lōga succēssione. Id qđ alię partes minimē poterant. Eandē quoq; horū temporū ratio est. Licet. n. suā fidē pleno ore prędicēt hęretici, nobis tñ hoc priuilegiū manet, q̄ soli inter oēs demonstrare possumus nostrā fidē atq; religionē inde ab Apostolis, tanquā per certissimā incōcussamq; regulā vsq; ad nos sese protendere. Alię. n. si respicere libet, decē, aut maxime viginti annis plerunq; perdurauerūt, sectę. Attamē Ariana hæresis etiā centesimū excessit. Tū Turcica rabies aliquot etiā seculis durauit. Nulla tamē harū partiū Apostolos attingit. Nostra verò linea ad Apostolos se extendit, licetq; nobis dicere: Sic docuit Petrus, sic Paulus vixit. In hac linea patres ieiunauerūt, orauerūt: & cur mihi idē nō licebit? Neminē verò, si quos abusus in hac linea irrepsisse videat, remoretur. Multa quidē in Ecclesia mala videmus, plurima in hac linea obuia sunt mala: oīa tamē arguūtur per fidē. Nō eā ob causam ecclesia fugiēda est. Si. n. peccata voluerimus fugere oīa, ē mundo excedendum erit, quod quòquò nos vertamus, vbiq; p̄cā sint obuia, nullaq; firma nobis erit māsiō. Id quod in Anabaptistis videre est. David & August. suo etiā tēpore multa in Ecclesia mala cōsiderabāt, nō tñ ideo refugerūt eam, imò verò malū qđ videbāt tollere atq; cōprimere, bonū verò quod desiderabāt plātare & prouehere laborabant. Nā & Christus dixit semper cū tritico zizaniā crescere. Et Paulus quidē impietātē fugere docet. Propter quod, inquit, exite de medio eorū & separamini & immundū ne tetigeritis, & ego recipiam vos, dicit Dñs.

1. Thes. 2. Alibi tñ in aliā sententiā de Christianorū p̄cīs loquitur, dicens:

dicēs: Corripite inquietos, cōsolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patiētes estote ad oēs. Tum alibi induratorum pertinaciumq; pœnē, hoc est, anathematis modū perscribit. Quod si magistratus huic Pauli doctrinæ nō obsequitur, & quod suū est officiū non facit, ideōne Ecclesia dānanda erit? An ideo boni fugiēdi erunt, atq; maledicendi, quod malos inter permixtos habent? Minimē: Infirmitas fugiendus non est, at potius qua ratione sanari possit videndum est. Si ergo invaliditatem Ecclesiæ vides, hoc age, non vt deseras, sed vt adiuues & cures. Ecce hoc modo fidem nostrā Apostolorum eorum respectu confirmare licebit. Neque tamen id satis est. Fuerunt illi quidem doctores fidei, sed tamen & pædagogi isti fuerunt. Hinc illa vox Pauli: Imitatores mei estote, fratres, sicut & ego Christi. Age igitur quos pædagogos habeamus audi. Ex multis enim paucula adferam. Superiore dominica audiuius Petrum dicentem: Exi a me Domine, quia homo peccator ego sum. Ecce verē humilitatis vocem. In hodierno Evangelio idē ait: Tu es Christus filius ille Dei viui. Ecce fidēi vocē. In Matthæo idē quoq; ecce, inquit, nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Atque hęc verē obedientiæ vox est. In Ioanne verō: Tu scis Domine quia amo te. Ecce verē in Deum dilectionis vocem. In Actis ad claudū loquens dicit: Argentum & aurum non est mihi: sed quod habeo tibi do. Ecce condolētia affectum. In eodem volumine ait: Nō est aliud nomen sub cœlo datū hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, præter nomen Domini nostri Iesu Christi. Et hęc cōstantiæ vox firmę est: Tū in Matthæo, Domine, inquit, bonum est nos hic esse. Et in Ioanne: Domine, quō ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et hęc sunt, quę in Petro discenda sunt. Haud minora his & in Paulo legimus. Ille enim, quanquam pro generis dignitate atque scientiæ nomen sibi cōparasset, omnia tamē vt stercora existimat, neminemq; præter Christū Iesum diligit. Qui non diligit Dominum Iesum, anathema sit, ait. Videbaturq; sibi prædicās nihil scire se præter Christum, & hunc crucifixum. Vita Christum imitari studuit. Viuo, inquit, iam non ego, sed viuūt in me Christus. Officio patrē se exhibebat omniū, omnia factus omni-

1. Cor. 4.

1. Cor. 4.

Luc. 5.

Matt. 16.

Matt. 19.

Ioan. 21.

Acto. 3.

Acto. 4.

Matt. 17.

Ioan. 6.

Phil. 3.

1. Cor. 16.

1. Cor. 2.

Y s bus

bus. Ecce eiusmodi patres habemus, horum studio in
fidē edificati sumus. His ergo adhæreamus, hos sequa-
mur, si modō cōmodis nostris consulere voluerimus. Id
ergo vt faciamus præstet Dei in nobis grata, Amen.

SERMO TERTIVS.

*Quando festum hoc secunda, post
quintam Trin. Dominicam,
feria incidit.*

P Vlchrē atque commodē hæc Petri atque Pauli Apo-
stolorū festiuitas in hanc diē incidit hoc anno. He-
sterno. n. Euangelio respōdet ita, quod illic dictū est
Euangelicis verbis, hic Apostolicis, verum demonstretur
exēplis. Inter cætera autem dicebant: Ecclesiā, quā Petro
Christus cōmendauit, quæ etiā à Petro ad nos vsq; in-
cōcussa linea descēdit, sempiternā illā nauim esse, qua tu
tō, turbidū mūdi huius mare tranamus, vnde audenter
sine metu nosmet ipsi committere, intrepidē etiam in ea
perstare possumus, nunquā ab ea vllis persuasionib⁹ de-
fecturi, vt vt alij nouam suam quam nescio Ecclesiā, ia-
ctitēt egregiē. In hoc vero Euangelio Christū dicentem
audis: Tu es Petrus, & super hanc petrā edificabo Eccle-
siā meam, & portæ inferi non preualebūt aduersus eam.
Quis aut nō cupidē huic se cōmitteret nauī? Quē non
vehemētē etiā in ea Ecclesiā, quē super petrā a edificata
est, iuuaret inhabitare? Vtiq; quē promissionē, eāq; fir-
mā, habet: nihil vnq; aduersus eam, vel ipsas etiā interni
portas posse, quæ clauēs etiā regni cælestis habēs, ligādī
atq; soluēdi potestati pēst. Et hoc qdē primū est, in quo
p̄sens festiuitas hesterno Euāgelio cōuenit. Deinde hæc
quoq; promissionē Petro Christ⁹ dedit: nēpe, hominū
illū piscatorē fore, tot homines capturū, quot antē cepis-
set pisces. Id ipsum ergo in Petro hodie, nec solū in Pe-
tro sed in Paulo etiā cōsideram⁹. Qui. n. cooperatus est
Petro, idē & Paulo vel seipso teste cooperatus est. Hi illi
piscatores sunt, quos Christus Euangelicā doctrinā cō-
misso rete, in spaciosum hoc mūdi pelagus emisit, nimi-
rū vt homines in profundum peccatorū submersos, inq;
erroribus suffocatos extraherent, extractos ad veritatis
sempiternāq; vitæ lucē adducerent. Petr⁹, inquit Eccle-
sia, Apostolus, & Paulus. Gentiū doctor, Petrus ipsa Pē-
teco-

Cor. 15.

Euāgelici
piscato-
res.

tecostes, omnibus Ierosolymitanis ob rei nouitate concurrantibus, & quod in Apostolis factum esset cognoscere desiderantibus, quid rei nouitas significaret, vnde & quo autore factum esset sciscitantibus, primum hoc rite eiecit. Tunc, inquam, primum eiecit Petrus, euge et qui bene cecidit, vno iactu duo hominum milia conuersi sunt. Eiuscemodi deinde et alios plures iactu fecit, imo ab illo die id facere nunquam destitit, nec in cassum, quemadmodum Acta Apost. fuisse testatur. Et Paulus quidem postea cepit tandem: sed quod negligenter erat tempore, abunde refarciuit diligentia, assidue indefessumque labore, ita, ut verum dicere poterit: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum, id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum, Sanne non alium Apostolorum tot urbes, regiones, insulas atque regna, Euangelica tuba pertonuisset, atque Paulum constantissimum ab Ierusalem per Iudam usque Romam peruenit, ubique Euangelium annuncians. Immo verum per illud Apostolorum audebat se se extremis periculis committere, ubi & mare profundissimum, & Satana fortissimus, & mundi potestas validissima atque terribilissima erat: & summum magistratum, cui totus hic mundus incuruabatur, & maxima deferrebat: Romam cunctis mortalibus inuictam, adoriri: & ipsos quidem rerum dominos, qui omnes ditiores, omnia regna ceperant, inque sua potestate subegerant, capere, & sub Christi regis iugum domare, poterat. Quare minime cuiquam mirum videatur, de ipsis nos canere, quod ipsi Principes Ecclesiae, sua fidei virtute, spei certitudine, dilectionisque Christi plenitudine principem terrae deuicerunt. Et iterum: sanctorum coeli, doctor orbis pariter Iudices seculi, vera mundi lumina: per crucem alter, alter ense triumphans: vitae senatum, laureati possident? Et quid honorificentius de ipsis dici posset? Quod nomen praestantius, quis titulus ipsis dari posset celebrior? Et quidem omnium horum titularum digni sunt. Principio enim sine dubio Ecclesiae fuisse Principes, ut qui maxima ex parte eam & edificarint, & sanctam testamentumque conseruarint, deinde & verum triumphantes duces spiritualis militiae fuisse, ut qui etiam adhuc in terra positi dicere poterant: Quis nos separabit a charitate Dei? 2. Cor. 4.

Tri.

Act. 2.3.

4.5.

1. Cor. 15.

Rom. 8.

2. Cor. 4.

1. Tim. 4. Tribulatio, Angustia, fames, nuditas? Et alibi: Persecutione patimur, sed non destituimur. Et iterum: Bonum certamen certavi, cursum consummaui. Tertiò & seculi ipsi Iudices sunt, qui in terris adhuc positi dixerunt: Nostra còuersatio in cœlis est: Et Scimus quoniam si terrestribus hæc domus nostra dissoluatur, quod ædificatione ex deo habeamus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. Quartò sunt etiam vera ipsi mundi lumina, ut qui sua doctrina omnes errorum tenebras fugaverunt è mundo, verumque lumē in quo Deus videtur & quē ipse misit, per quē & omnia imperit Iesum Christum. Hos igitur una vice ambos nobis Ecclesia proponit. Nec immerito: Quæadmodum enim se in vita dilexerunt, ita & in morte non sunt separati. Et quis non videt quā spaciosus hic dicendi se capus aperit? Quid laude magis dignum illa Petri tam constans voce? Tu es Christus filius Dei viui. Quid honorificentius responsio christi? Tu es Petrus. Quid præstātius Petri verbis in hesternæ lectione? Argentum & aurum non habeo, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Nazareni surge. Quid magis consolatorium istis quæ hodie lecta sunt: quāto Deus Petrum miraculo è carcere liberauerit, quod cathenarum de manibus ipsius sua sponte ceciderint, quod immunis ipse, imò alijs inconsiderantibus per utranque custodiā abierit, quod prima porta ultro illi aperta fuerit. Unde & vox illa ipsius nomine in ipso sacri Introitu cantata est: Nunc scio verè quia misit dominus angelum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudeorum. Et qui dicendi materia, si Paulum respicias, offertur? Quanta Lucas de eo in Act. à 9. cap. vsque ad finem perscripsit? Sed quia legentibus hæc sunt obuia, & simplicioribus multa id genus superioribus annis dixisse me memini, diutius nunc istud immorari superfluum arbitror. Cuique vestrum præparatione illam Ecclesiam tantum commendando, ut ea corde atque ore ad Deum patre precemur. Id quod recte hæc festiuitate celebrasse erit, Deus qui hodiernum diem Apostolorum Petri & Pauli martyrio consecrasti: da Ecclesiam tuam eorum in omnibus sequi præceptum: per quos religionis sumptus exordium, per dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

SERMO QVARTVS.

Quando festiuitas hæc in quartam Dominicam Trinitatis incidit.

Perap.

PErappositè præsens festiuitas, qua duobus illis Petro & Paulo Apostolis nostris parétamus, cū dñicali Euangelio cōuenit. In hoc enim vt misericordes sim⁹, Christus initio admonēs, multis deinde quomodo misericordiæ vocē intelligere debeamus, annectit: nēpe ne iudicemus, neq; condēnemus, sed ignoscamus atq; dimitamus. Tū pleno Ecclesiæ ore de Apostolis nostris canit. Hi, inquit, sunt viri misericordiæ, quorū pietates nō defecerūt. Cū semine eorū permanēt bona, hereditas sancta nepotes eorū. Quid autem rectiūs cōiungitur, quid pulchrius cōuenit fido præceptore cū nō ignauo discipulo? Quis vnquā maiore fide docuit Christo? Quis auditor diligētor discipulis? dñe, inquit, verba vitæ æternæ tu habes, & quō abibimus, tui vt simlẽ inueniamus? Paulus vero: Imitatores mei estote, inquit, sicut & ego Christi. Vt ergo diligēter **C H R I S T V S** in dominicæ huius diei Euangelio misericordiā docet, ita etiā non inconueniēter Apostolis tribuitur fuisse viros misericordiæ, hoc est eiusmodi hoīes, in quibus oīs generis misericordia cōspiciatur. Misericordia. n. à deo cōsecuti, ex misericordia ecclesiæ à Deo dati sunt, misericordes semp fuerunt. Ita. n. D. Bernardus exponit, atq; hæc tria in Apostolis nostris demōstrat. Vide, inquit, quā misericordiā cōsecuti sunt. Paulū interroga de seipso, vel magis spōte confitentē ausculta: Qui blasphem⁹ fui et persecutor et iniqu⁹, sed misericordiā consecutus sum. Et iterū: fidelis sermo & omni acceptione dignus: qm̄ dñs Iesus venit in hunc mundū peccatores saluos facere: quorū primus ego sum. Verūm apud Petrū aliud habeo qđ apponam, abundantiore modo in illo se misericordia Dei exhibuit, dū non modo in gratiā, posteaquā tā horrēdē cecidisset redijt, sed & pristinū honoris gradū recuperauit. Nā peccauit Paulus, sed ignorans fecit, in incredulitate: Petrus cū cecidit apertus habuit oculos: eoq; maius delictum habuit. Non. n. vt Paulus ex ignorantia aut incredulitate peccasset se dicere potuit. Vbi verō abūdauit delictū, superabūdauit & gratia. Cōuersus Dñs respexit Petrum. Vtiq; misericordiæ respexit oculis. Post resurrectionē. n. hoc primum dicebat angelis: Ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Deinde nō iam primus, sed

Eccl. 44.

Psal. 6.

1. Cor. 11.

1. Cor. 15.

Luc. 22.

Marc. 16.

sed

sed solus erat, cui Christus dicebat: Pafce oues meas. Ecce hoc modo Apostoli nostri viri misericordiæ dicuntur: nepe, quia tantâ misericordiâ suâ De⁹ in illis ostēdit idq; ad consolationē omniū peccatorū. Si enim ex ignorantia peccasti, Paulū: si post agnitionem veritatis & voluntariē lapsus es, Petrū respice: Nā vt Paulum suscipit, sic nec Petrū excludit. Modò quemadmodū Petrus per gallicantum, hoc est, per Legis prædicationem, ita nos quoque ad cor redierimus, a peccato surrexerimus, ipsumque desleuerimus, & firma fide gratiam Dei & consolationē expectauerimus. Hi sunt viri misericordiæ. Quod si quis vel nescit vel non credit Deū esse misericordē, atque peccata hominū remittere, hos ambōs apostolos respiciat. Sed non modò misericordiā eos consecutos, verumetiam ex misericordia nobis datos, & ad nos missos cogitemus. Ita enim legimus Matthæo referēte: Vidēs Iesus turbas, misertus est eis, quia erāt vexati, & iacētes sicut oues non habētes pastore. Tūc dicit discipulis suis: Misisi quidem multa, operarij verò pauci. Rogate ergo Dñm Misis: vt mittat operarios in messem suā. Mox vero sequitur, q̃ misissis duodecim Apostolis præceperit dicens: Eūtes prædicate, dicentes: quia appropinquet regnū cœlorū. Et hæc secūda ratio est, cur dicatur viri misericordiæ: quod ex misericordia Dei ad nos missi, misericordiā prædicarint. Vnde dixerūt: Posuit in nobis verbū reconciliationis. Et quis nō videt, quā præstās hoc diuina misericordiæ donū sit, & quā nos ad gratias referēdas Deo obligamur? Eramus peccatis obnoxij sed abluti, sed sanctificati sumus. Eramus tenebræ, & sine Deo: & ecce ciues sanctorū & domestici Dei facti sumus. Et cui id debem⁹? Deo ipsiusq; gratiæ. Et qua via ad nos isthæc gratia venit? vtiq; per Apostolicā prædicationē. Hi ergo sunt viri misericordiæ. Misericordiā cōsecuti sunt, misericordiam prædicauerunt, pleni miseratione & dilectione fuerunt, pro eadem sua miseratione & dilectione, serui nostri permanebunt vsque in finem. Argentum & aurū, inquit, Petrus, non habeo, quod autem habeo hoc tibi do. Et Paulus. Testis, inquit, est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et iterum: Ego autem libentissimē impendam, & superimpendar ipse

Matt. 9.

Matt. 10.

1. Cor. 6.

Act. 3.

2. Cor. 12.

iple pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar. Tam pleni enim misericordia erant, vt nulli labori parcerent, nullū periculum timerent, tantum à perditione eximerent. Salus hominū atque conuersio, vnicum imò & summum ipsorum gaudium atque bonum erat, quod quærebant & cuius causa tantopere laborabant. Nā & Petrus summē lætabatur, intelligens quomodo & Gentibus annunciandum esset Euangelij verbū. In veri-

Act. 10.

tate, inquit, cōperi, quia nō est personarū acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Et in Paulo quidem multa id genus voces legimus. Gaudium meum & corona mea, ad Philip-

Phil. 4.

Ibid. 2.

penses scribit. Et ad eosdē: implete gaudium meū. Et ad Theſſalonicenses. Quæ est, inquit, nostra spes aut gau-

1. Tes. 2.

2. Cor. 7.

dium, aut corona gloriæ? Nō nne vos? Et ad Corint. Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: Repletus sum consolatione; superabundo gaudio. Quæ omnia satis declarant, plena eos misericordia atq;

Eccl. 44.

dilectione affectos fuisse. Non igitur immeritō viri misericordiæ dicuntur? Ideo etiam iustitiæ eorum obliuionē non accipient. Corpora eorum in pace sepulta sunt, nomina autem eorum viuunt in seculum seculi. Sapientiam eorum prædicent populi, & laudem eorum omnis Ecclesia narret. Quæ verba si vsquam impleta sunt, certē in his duobus impleta sunt Apostolis. Si igitur & nos sempiternam memoriam volumus, si obliuionem refugimus, si nominis gloriam apud Deum atq; homines appetimus, ad misericordiam Dei festinemus, gratias Deo agamus, quod misericordiam nobis suam exhibuit. atq; quotidie offert. Exhibeamus verò & ipsi erga proximum nostrum misericordiam. Idque Apostolorum nostrorum exemplo. Estote misericordes, inquit Christus. Atque hoc modo præsens festiuitas cum dominicali Euangelio conuenit. Quæ omnia pië Christianus penitus secum examinet. Quotidie enim per illud Apostolorum nobis loquitur, ita vt integrum sermonem inde contexere necessariū non sit. Deus Opt. Max. qui per ipsos religionis dedit exordium ipsorum nos se-

qui doctrinam largia-

tur, Amen.

IN